

Ga  
110  
869

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



Digitized by Google

www.libtool.com.cn

La 110.869



## Harvard College Library

FROM THE

### CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

①

# De arsis solutis in dialogorum senariis Aristophanis

scripsit

**Franciscus Pongratz.**

Pars I.

De tribrachis et dactylis post priorem arsis syllabam incisis.

---

## Programm

des

K. Ludwigs-Gymnasiums in München

für das


Studienjahr 1901/1902.

---

**München 1902.**

Druck der Akademischen Buchdruckerei von F. Straub.

Pa 110. 869



*Constantine fund.*

352

## Praefatio.

Trimetro jambico veteres poëtas graecos praeter hexametrum maximo amore usos esse inter omnes constat. Sed ipse Archelochus, qui eum invenisse traditur, licentiam sibi indulsit in pedibus solvendis ab hexametro plane alienam, ut longam syllabam ictu percussam in duas breves solveret. Atque inde, quo latius propagabatur hujus metri usus, eo liberius poëtae numeros tractabant ac praesertim in longis dissolvendis majorem sibi sumpserunt libertatem. Quod quidem luculentissime apparet ex tragicorum hujus versus tractandi ratione. Etenim cum Aeschylus severius adhuc intra pristinae artis fines se contineat, Sophocles praesertim in fabulis extrema aetate confectis metri securiorem se praebet atque Euripides in ultimis fabulis plane novas atque inauditas solutiones versibus intrudit. Maximus autem pedum solutorum numerus occurrit in comicorum trimetris, qui tanta libertate versus condebant, ut genuina trimetri forma nonnunquam prorsus evanesceret. Sine dubio ejus rei causa inde repetenda est, quod comici poëtae vulgari sermone fabulas composuerunt atque ad communis vitae sermonem quam maxime adaequandum omnes quamvis insolentes solutiones admiserunt. Neque vero usque eo comica licentia meliorum certe poëtarum progressa est, ut omnes rhythmici leges neglegerentur, immo versus solutionibus scatentes ubique testimonio sunt, in maxima numerorum libertate semper valuisse quasdam concinnitatis leges, quas violare nisi certis condicionibus ne poëtis quidem comicis unquam licuit. Quod optime perspicitur ex Aristophanis fabulis.

Is enim pedum solvendorum tanta usus est licentia, ut paene nullis se cohibuisse videatur finibus. Novissimis demum temporibus accuratius inquiri coeptum est, quasnam solutionum formas maxime amaverit aut vitaverit. Atque Curtius Bernhardy quidem in disceptatione „de incisionibus anapaesti comici Graecorum“ (Acta societatis philol. Lipsiensis I, 245 sqq.) de anapaestorum usu accuratiorem disquisitionem instituit atque solutiones, quarum adhuc sub iudice lis erat, ad certas normas redegit. Deinde homines docti dubitare coeperunt, num ferendi essent apud Aristophanem ictus in ultimis longiorum vocabulorum syllabis. Primus in hac re Engerus Aristophanis consuetudinem eruere conatus est (in disputatiuncula „Der Ictus auf der kurzen ultima eines mehrsilbigen Wortes im komischen Trimeter, Mus. Rhen. XIX, 134 sqq.), sed cum nonnulla eum fugerint exempla, manca est ejus quaestio neque erroribus libera, quos per disquisitionem meam suis locis detegam. De cunctis Aristophanis solutionibus primus quaestionem instituit Rumpelius (in Leutschii Philologo XXVIII, 599 sqq.) sed ita, ut numeros magis solutionum quam solvendi rationem perscrutaretur. Denique commemoranda est Widegredi Upsaliensis disputatio „de numero et conformatione pedum solutorum in senariis Aristophaneis“ (Upsaliae 1868). Hic quoque similes tantum componens solutiones aliquam ex Aristophanis fabulis solvendi rationem eliciendam aliis tradit; praeterea dactylos in quaestionem non vocat. Quamquam hi docti jam multum laborem consumpserant in Aristophaneo metro pertractando atque interius cognoscendo, tamen cum alia etiam manerent dubia novaque exspectarent studia, alia vel nimis audacter vel prorsus false mihi viderentur pronuntiata, operae pretium esse existimavi, denuo rem quam maxima diligentia pertractare atque imprimis investigare, quibusnam condicionibus Aristophanes longae syllabas duobus verbis tribuere sibi permiserit. Namque usque ad hoc tempus in Aristophaneis locis emendandis maxime eo peccatur, quod hunc poëtam omnes omnium generum solutiones sibi permisisse neque rhythmici majorem curam habuisse homines quidam docti existimant. Atque satis praestitisse mihi videor, si certas



ex Aristophanis solutionibus rationes elicui, emendationes nonnullas ab Aristophanea consuetudine abhorrentes refutavi, ipsum poetam in maxima libertate maximam diligentiam servavisse ostendi. Quod quoad exiguis meis viribus contigerit, alii judicent, atque si quid inconsulto omisi, ignoscant, cum tanta solutionum moles digerenda atque ordinanda fuerit, ut quamvis subtiliter rem inquirentem pauca me fugisse non mirum sit.

Praeter libros supra citatos examinavi hos:

Gottfr. Hermann, „Epitome doctrinae metricae“, ed. IV.

Christ, „Metrik der Griechen und Römer“, ed. II.

Roszbach, „Griechische Metrik“, ed. III.

Carl Friedr. Müller, „De pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis“, Berl. 1866.

Rumpel, „Die Auflösungen im Trimeter des Aeschylus und Sophocles“, Philol. XXV, p. 54—66.

Enger, Rhein. Mus. XI, p. 444 sqq.

Seidler, „De versibus dochmiacis tragicorum Graecorum“.

Reisig „Conject. in Aristoph.“

Meineke, „Vindiciae Aristophanis“.

Fritzsche, „Annotationes de trimetro comico“ in indice lectionum Rostochiensium 1831 per sem. hib. habit.

Preuss, „De senarii graeci caesuris“.

Alb. Schmidt, „De caesura media in Graecorum trimetro jambico“.

Editionibus usus sum Dindorfii, Kockii, Velsenii, Blaydesii, Leeuwenii.

## Pars prima.

### De tribrachis et dactylis post priorem arsis syllabam incisus.

---

#### I. De tribrachis primi pedis.

Primum trimetri pedem ab omnibus poëtis liberiore modo quam ceteros tractatum esse inter omnes constat neque est cur hoc loco latius demonstrarem. Quid mirum Aristophanem quoque, illum usquequaque metri tractandi libertate insignem poëtam, majore licentia in hujus pedis solutionibus usum esse. Neque vero apud eum hoc ad numerum solutionum pertinet, quippe qui in hoc pede alterius et quarti pedis numero longe inferior sit, sed ad tribrachorum quaedam genera, quae interdum jam a tragicis usurpata in Aristophanis demum fabulis tanto numero occurrunt, ut certo consilio admissa et ad justas formas redacta esse videantur. Huc refero eas solutiones, in quibus vocem bisyllabam sequitur enclitica *νύν* (ut *φέρε νυν* etc.), quod plus sexaginta locis reperimus, et eas, quae inter articulum et substantivum *μέν, δέ, γάρ* particulas recipiunt (ut *τὰ δὲ κρέα*), quarum item numerus haud exiguus est. Quorum generum in primo pede maxime usitatorum cum in reliquis pedibus fere nulla extent exempla, fortasse meo jure non tam ex versus comici liberiore rhythmum quam ex enuntiati initio derivum originem eorum, quod ut cum versus initio concidat plerumque, natura fert. Etenim cum in vulgari sermone, quem Aristophaneae fabulae maxime sapiunt, saepissime initium capiat sententiae elocutio *ἴθι νυν* vel *φέρε νυν*, aliae ejusmodi, Aristo-

phanem non timuisse apparet, similibus elocutionibus versum incipere, praesertim cum *νύν* particula tam arcte cohaereat cum antecedente, ut ejus quasi ultimam formet syllabam. Et cum iterum atque iterum in initiis sententiarum Graeci articulum ponerent insequente substantivo iisque conjunctionis causa *μὲν, δὲ, γὰρ* particulas interponerent, Aristophanes ea re facile permotus est, ut inde justum peteret versus initium. Ita ex communi sermonis usu duae tribrachorum incisorum formae ortae esse mihi videntur, quae in primo pede adhibitae Aristophanis propriae esse dici possunt.

Ad ipsos jam transgrediens tribrachos post alteram syllabam incisos primum in hac sede agam de illis, in quibus voci bisyllabae subjuncta est monosyllaba. Atque hic quidem imprimis excutienda est prior earum formarum, quas ut praesertim excoleret Aristophanem versus cum enuntiati coincidente initio permotum esse videri modo demonstravimus, eam dico, qua enclitica *νύν* tertiam explens brevem bisyllabum sequitur vocabulum. Sic legimus *ἔθι νυν*: Equ. 105; Vesp. 343; Pac. 550, 670, 706, 871, 937; Ran. 494; Eccl. 1059; *φέρε νυν*: Equ. 113; Nub. 731; Vesp. 848, 906, 1497; Lys. 916; Ran. 502; Eccl. 725, 869; Plut. 768, 964; *ἄγε νυν*: Equ. 1011; Nub. 489; Vesp. 211, 1157, 1174, 1264; Pac. 851, 1056; Lys. 1273; Thesm. 213; Eccl. 149, 268; *ἔχε νυν*: Equ. 490, 493, 1184; *λέγε νυν*: Equ. 1028; Nub. 141; Vesp. 30; His locis vereor adjungere Pac. v. 679 a Bergkio scriptum *ἔτι νυν κτε* pro librorum lectione *ἔτι νύν*, et quod Aristophanem imperativis tantum voculam *νυν* adjungere exemplis allatis demonstratur neque intellego cur scripturam libris manuscriptis traditam mutemus. Nimirum solutiones supra citatae praesidium habent in enclitica vocis *νύν* natura, qua quidem verba ita continentur, ut unam trisyllabam vocem plane aequent. Ceterum alias quoque encliticas Aristophani visas esse tribrachorum incisioni satis afferre excusationis hi loci docent: Equ. 1336 *δοα με*; Thesm. 1187 *καλό γε*; Ran. 1261, 1197 *πάνν γε*; Lys. 890 *φέρε σε (φιλήσω)*; idem Thesm. 915 *φέρε σε (κύσω)* ubi codicum scriptura *φέρε σε κύσω* plane contra metricam rationem mutatur a Dindorfio, Bergkio, Velseno in

φέρει· σέ κύσω ut breves syllabae longae loco positae interpunctione sejungantur atque dilacerentur. Solutio simillima occurrit in Nub. v. 238, si probatur Ravennatis aliorum codicum lectio ἴνα με διδάξης praebentium, quam lectionem ex metrica ratione non habere in quo offendamus exemplis supra allatis satis elucere mihi videtur. Non minus arcte quam encliticae proximis verbis sese adjungunt μέν, δέ, γάρ particulae in his versuum initiis: Ach. 754 ὄκα μέν; Nub. 792 ἀπο γάρ; Av. 76 τοτέ μέν (Meinekus proponit ὅτε μέν), Eccl. 714 ἐμὲ γάρ; Plut. 887 ὅτι δέ; Av. 181 ὅτι δέ (quod non est cur cum Dindorfio, Richtero (ad Vesp. 853) in ὁτιή δέ mutemus), Av. 1167 ἴσα γάρ. Huic tribrachorum formandorum rationi utpote plane cognatam statim adjungam, quam in Vesp. v. 3 legimus solutionem κακόν ἄρα, quippe in qua illud ἄρα non minus artam exigat conjunctionem, quam quas modo attulimus voculae monosyllabae.

Dissimili modo conformati sunt tribrachi a bisyllaba ordientes praepositione, quales per ceteros quoque omnes pedes invenimus. Neque vero in eis haerebimus, cum ipsius praepositionis cum insequente casu artissimo nexu satis praesidii fieri solutioni statim intellegamus. Huc referendi: Equ. v. 1008 περὶ Λακεδαιμονίων, Vesp. 1199 ἐπὶ νεότητος; porro Lys. 1101 ἐπὶ τί; Thesm. 489 παρὰ τὸν.

Secundo loco perquiramus eos tribrachos, quorum altera brevis syllaba comprehenditur vocula monosyllaba. Hic quoque solutionis, quam Aristophanis propriam esse diximus, nempe μέν, δέ, γάρ particulas in altera syllaba habentis, imprimis accuratius indagemus exempla. Atque inter articulum quidem et substantivum inveniuntur hae particulae in his locis: Ach. 813 τὸν μὲν ἔτερον; Pac. 548 ὁ δὲ δρεπανοῦργος; Av. 1118 τὰ μὲν ἔρα, 1583 τὰ δὲ κρέα; Plut. 687 ὁ γὰρ ἰερεὺς, 696 ὁ δὲ θεός; Fragm. 186 ὁ δὲ μεθύων. Nimirum voces his oculis monosyllabis conjunctas sententiae vi quasi in unum coalescere verbum Aristophanes sumpsit, ita ut non timeret alia quoque vocabula eis conjungere ut Vesp. 1374 τί δὲ τὸ μέλαν; Thesm. 361 τί δὲ μετὰ τοῦτο. Uno tantum loco tribrachi altera syllaba

expressa est vocula *ἄν* Eccl. v. 474 si Ravennatis tenemus ordinem verborum *ὄσ' ἄν ἀνόητα χ' ἦ μῶρα* praebentis. Sed praeter insolitam tribrachi solutionem verba *χ' ἦ* demonstrant in hoc versu aliquid vitiatum esse atque equidem codicem B genuinam putaverim exhibere versus formam, cujus lectio *ἀνόητ' ὄσ' ἄν καὶ μῶρα* facile in illam depravari potuit. Accedit quod in codicibus T et N *καὶ* servatur, quod cur cum Bentlejo in *ἦ* mutemus non adest ratio. Tentandi non esse mihi videntur Pac. v. 1048 et Eccl. v. 231 *τί ποτ' ἄρα* in initio praebentes, utpote in qua solutione vox *ἄρα* maxime conjungenda sit antecedenti verbo et ipsi apostrophi vi cum insequente enclitica et sua natura cum antecedente *τί* conjuncto.

Compluribus versibus — id quod in ceteris quoque pedibus occurret — monosyllaba alteram explet brevem, quae grammatica lege proxime pertinens ad insequentem vocem tali modo solutionis duritiem emollit. An hoc negari potest, cum articuli breves formae vel monosyllabae praepositiones secundam brevem expleant atque ab insequenti brevi substantivum incipit ut in Vesp. v. 1124 *ὄτ' ὁ βορεᾶς*, 1501 *τίς ὁ κακοδαίμων*; Fragm. 505 a *τί τὸ κακόν*, porro Thesm. 456 *ἄτ' ἐν ἀγρόισι*; Eccl. 541 *σὲ δ' ἐν ἀλεῖ*.<sup>1)</sup>

Quae praeterea per Aristophanis fabulas in versuum initiis deprehenduntur insolitorum tribrachorum exempla, eorum haud ita promptae sunt excusationes. Ac primum quidem solito majore licentia compositus est Equ. v. 1159 *ἄφες ἀπὸ τῶν βαλβίδων κτε*, sed fortasse nil est mutandum, cum voces *ἄφες* et *ἀπὸ* arctissimo contineantur sententiae vinculo et pronuntiatione ita conjungantur, ut ne minima quidem pausa intercedat. At hoc licentiae lenimentum afferri nequit in Av. v. 1527 *ὄθεν ὁ πατρῷος κτε*, ubi lectionem libris proditam sanam esse nullo modo mihi persuadere possum. Qua in re consentientem habeo Engerum, qui versus numeris ita succurrit, ut scribendum proponat *ὄθεν γ'*, quam conjecturam, cum melior alia praesto non

<sup>1)</sup> Hoc solutionis genus ab antecedente maxime diversum ita non ab illo disjungit Carol. Muellerus (de ped. sol. p. 47, 5) ut utriusque formae exempla quasi plane comparia commisceat.

sit, equidem recipere non dubito. Neque magis ferenda est solutio quam in Vesparum v. 853 codices S et V praebent *ὄτι πελαθόμεν*. Recta nimirum scriptura codicis R *ὄτι' πελαθόμεν*.

Postremo accuratius examinandus est Ach. v. 1023 *πόθεν; ἀπό*, in cujus initio si adhuc recte homines docti<sup>1)</sup> tribrachium posuerunt, tota nostra ratiocinatio concidit, qua altera solutionis syllaba cum tertia semper arcte cohaereat postulamus. Cujus tribrachi simile exemplum cum per omnes Aristophanis fabulas unum tantum reperiatur, in quarto pede Pluti versus 838 *εἶ οἶδ' ὄτι κομδὴ μὲν οὔν*, uno de duobus versibus suffragio sententiam ferre ad rem jam hoc loco conficiendam mihi idoneum videtur. Ex solutionibus adhuc allatis elucet illa regula quam in ceteris quoque pedibus probare poterimus, Aristophanem omni studio id curavisse ne syllabae breves longae loco positae quo modo dilacerentur. Nimirum poëtae studium eo tendebat, ut duo brevissima tempora longae syllabae expleant spatium nulla ne minima quidem mora interiecta uno tenore recitari possent, et proinde numerus jambicus omnibus pedibus perspicuus esset. Quod cum ita sit et cum ob eam causam in sententiae contextu verborum nullo vinculo cohibitorum compositio vitetur, quomodo ferri possit tribrachus, cujus altera syllaba et tertia interpunctione disjunctae sint, quae personarum vicissitudine etiam gravior et molestior evadat? Itaque jam Elmsleius de Ach. versus medela cogitabat atque parvulae particulae subsidio ad versum emendandum utitur, cum proponit *πόθεν δ'*. Atqui horum, de quibus agimus, versuum scriptura fere omnium codicum autoritate ita firmata est, ut de lectione, quam libri exhibent, dubitare non ausim. Itaque alia interpretandi via ingredienda est et equidem ipsa interpunctione eam nobis ostendi puto. Cum enim concludatur post alteram syllabam sententia, aliquamdiu dubium esse potest, utrum haec altera syllaba pro longa an pro brevi sumenda sit. Jam quid impedit, quin eam ipsius interpunctionis vi longae pondus assequi statuamus? Quod enim saepissime in versus fine nobis occurrit, ut ultima brevis

<sup>1)</sup> cf. Christ, *Metrik der Griechen und Römer*, S. 136.

syllaba propter ipsam insequentem pausam ancipiti mensura sit, quidni idem Aristophanem in medio versu ante interpunctionem sibi concessisse putari possit idque vel maxime in ea elocutione, quae saepissime versus finem conformet, *εῦ οἶδ' ὄτι* dico.<sup>1)</sup> In qua praeterea non intellego, cur Aristophanes, si talem in medio versu productionem horrebat, tribrachum tam insolitum in versum intulerit, cum facillima mutatione posset scribere *εῦ οἶδ' ἔγω*. Ceterum talis syllabae brevis ante interpunctionem productio non plane singularis extat per Graecorum fabulas atque apud Aeschylum primum occurrit exemplum. In Choeph. v. 655 libri praebent *εἴεν· ἀκούω* quae lectio codicum auctoritate satis firmata rhythmum inseri non potest, nisi alteram *εἴεν* vocis syllabam propter insequentem interpunctionem producimus. Eadem elocutio obvia fit apud Aristophanem in Pac. v. v. 663 etc. 1284 his quoque locis insequenti interpunctione excusata. Itaque nil obstare puto, quin talem metri tractandi libertatem etiam in nostris versibus statuamus.

## II. De tribrachis secundi pedis.

Ad alterius pedis tribrachos post alteram syllabam incisos jam me convertens servabo consilium meum, ut eas solutiones, quarum alterum tempus vocula monosyllaba expletur, se junctim contempler ab eis, in quibus duae breves priores una comprehenduntur voce bisyllaba vel fine vocabuli plurium syllabarum, a tertia novum nomen sive monosyllabon sive plurium syllabarum incipit. Atque in secundi quoque pedis tribrachis tali modo solutis demonstrare conabor, Aristophanem in versibus condendis talem numerorum libertatem sibi non sumpsisse, nisi ita ut aliqua accederet syllabarum conjungendarum necessitas.

Arctissima alterius syllabae cum insequente conjunctio oritur, cum medium tempus expressum est articulo cum sequente nomine

<sup>1)</sup> Nuperrime observavi, Richterum in editione Vesparum ad v. 858 eodem modo hujus versus numeros explicare cum dicat: Nullam offensionem habet Pl. 888, quum *ὄτι* et in fine dipodiae et orationis sit positum ut innumeris locis *οἶδ' ὄτι* in fine versuum (*ἴσθ' ὄτι* similia), ut paene dicas ancipitem esse syllabam vel longam.

quasi unum efficiente verbum. Huc pertinent loci: Ach. 964 ὁ δεινός ὁ ταλαύριος, 1130 τὸ μέλι, 1182 τὸ μέγα; Equ. 67, 1042; Nub. 85, 888, 357; Vesp. 68, 71, 968; Pac. 42, 111, 241, 1125; Av. 813, 970, 1452, 1637; Lys. 25, 942, 947, 1169; Thesm. 130; Ran. 178, 278, 623, 637, 1167; Plut. 85, 968, 1201; Fragm. 521. Eodem, quo articuli breves formae, officio fungitur particula μὰ in formula μὰ Δι': Nub. 733; Av. 22, 1210, 1220, 1308. Non minus arcte sententia ac pronuntiatione praepositiones cum insequentibus conjunguntur, quae alteram tribrachi brevem explentes inveniuntur his locis: Lys. 1143 ἔλθων δὲ σὺν ὀπλίταισι; Fragm. 344, II οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγορῷ. Alteram solutionis excusationem habemus elisionem in his praepositionibus: Ach. 202 ἄξω τὰ κατ' ἀγοῦς; Nub. 654 πρὸ τοῦ μὲν ἐπ' ἔμοῦ; Av. 47, 846, 1543 (παρ'); Lys. 26 (ἐπ'); Eccl. 1013 (καθ'). Pari modo invenimus conjunctiones bisyllabas elisione mutilas: Equ. 118 φέρ' αὐτόν, ἴν' ἀναγῶ; Vesp. 10, 805 (ἄρ', ἔτ'); Pac. 727 (ἄμ'); Av. 73; Thesm. 236 (ἴν'); Ran. 512 (ἄμ'). Alia verba, quae sua natura ad sequentia pertinent et praeterea elisionem nanciscuntur conjunctionis vinculum, sunt ὄσ' Av. 1645; φέρ' Equ. 119, 1365; Av. 1244. Sed vereor in hunc numerum referre Equ. v. 20 ἀλλ' εὐθέ τιν' ἀπόκινων, cum per omnes nostri poëtae fabulas nullam reperias encliticam alteram tribrachi syllabam explentem. Fortasse rectum vidit Meinekius (Vind. p. 50) suspicans εὐρετέ' ἀπόκινων, quam solutionem propter elisionem non magis tentandam esse existimo, quam quae legitur in Vesp. v. 697 ὃ δαιμόνι' ἔλει (de quo loco quid sentiam in capite de proceleusmaticis latius exponam), vel in Av. 1523 τὰμπόρι' ἀνεωγμένα, vel in Ach. v. 830 τὰ χοιρίδι' ἀπέδον, vel in Ran. v. 488 εἰργάσαι' ἀνήρ. Elisionis praesidio muniuntur solutiones in Av. v. 860 τουτὶ μὰ Δι' ἐγὼ et in Ran. v. 1410 ἐγὼ δὲ δὴ ἔπη. Neque dubitationem nobis movebit solutio in Ach. v. 1058 φέρε δὴ τί σὺ λέγεις, ut in qua vox σύ arctissime conjungenda sit cum insequente verbo.<sup>1)</sup> Duplicem excusationem habent eae

<sup>1)</sup> Ceterum comparandum est, quod pag. 14 adnotavi ad elocutionem οἷσθ' ὅτι λέγεις.



arsium solutiones, quae efficiuntur duobus monosyllabis id genus, ut prius alteri, alterum priori proxime conectendum sit. Huc spectant Thesm. v. 197 *ἀλλ' ἀπὸς ὃ γε*; Equ. v. 677 *τά τε*; Equ. 150 *τί με*; Av. 1637 *ὐ γάρ*; Ach. 775; Eccl. 739, Ran. 165 *ὄν δέ*. Similiter comparata est solutio Eccl. v. 1014 *τί ποτε*.

Neque difficile erit libertatis excusationes investigare eis tribrachis, quorum in altera syllaba terminatur vox plurium syllabarum. Ac primum quidem lenitur ac paene tollitur, quae longioris vocabuli fine efficitur pausa, cum tertium tribrachi tempus constat monosyllabo arctissime conjungendo cum antecedente. Ach. v. 584 *φέρε νυν*; 555 *ὃ τι ἄν*; Eccl. 373 *ἔτι γε*; Av. 1670 *ἐμέ γε*; Thesm. 938 *βραχὺ τι*.<sup>1)</sup> Non minus vocis interstitium evanescit, cum priora tempora bisyllaba explentur praepositione, quam cum sequente casu paene unum reddere vocabulum jam supra indicavimus. En locos: Equ. 1006, 1010, 1012 *περὶ ἐμοῦ*; Nub. 741 *κατὰ μικρόν*; Pac. 1237 *ἐπὶ δεκάμωρ*; Av. 1300 *ἐπὶ φιλοφροσύνας*, 1639 *περὶ γυναικός* (ubi cūr cum Meinekio mutemus *γυναικός περὶ* nulla adest ratio); Thesm. 91 *ὑπὲρ ἐμοῦ*; Plut. 1055 *διὰ χρόνον*; 1111 *διὰ τί*, quem versum injuria, opinor, Meineke in vindic. libro p. 223 propter ictum in *a* positum in dubium vocat.<sup>2)</sup> Sola sententia, ut quae unam efficiant notionem, continentur vocabula *αὐτίκα μάλα* Pac. 237, 367; *τινά τρόπον* Av. v. 180; Ran. 460; *ταχὺ πάνν* Thesm. 916.

His omnibus, quae adhuc attuli pausarum lenimentis destituti sunt nonnulli tribrachi, quorum tamen lectio identidem occurrens omnium librorum consensu ita firmata est, ut nisi primariam nostram regulam prodimus, aliud conjunctionis sub-

<sup>1)</sup> Vocem antecedentem etiam plus quam duas syllabas continere posse, id quod Engerus in disputatiuncula „Der Ictus auf der kurzen ultima eines mehrsilbigen griechischen Wortes (Museum Rhen. XIX, 135) negat, probatur Equ. v. 1107 *ἀνύσατέ νυν* omnium codicum consensu firmissime stabilito.

<sup>2)</sup> His simillime comparati sunt Euripidis versus Iph. Aul. *τίκτω δ' ἐπὶ τρισί* et Bacch. 940 *στὴν παρὰ λόγον*, quos ob eam causam in dubitationem non vocaverim (cf. Mueller p. 56, 11).

sidium nobis quaerendum sit. Agitur de Equ. v. 1041 ταῦτ' οἶσθ' ὃ τι λέγει; Ran. 556 οὐκ οἶσθ' ὃ τι λέγεις; Eccl. 989 οὐκ οἶδ' ὃ τι λέγεις. Porro de Lys. v. 52 μήτ' ἀσπίδα λαβεῖν et Nub. v. 884 ὃς ἰάδικα λέγων et de praeconis solenni adhortatione: ἀκούετε λεῶ, quae legitur Ach. 1000; Pac. 551; Av. 448 quos versus Engerum plane supterfugisse maxime miror. Etsi concedo, in illis tribus, quos primo loco attuli, pronomen ὃ τι arcte conjungi cum insequente verbo et sententia et grammatica ratione, tamen neque intellego cur ejusmodi solutiones ceteroquin ab Aristophane plane vitatae sint et quos praeterea una attuli versus, adeo abhorrent ab Aristophaneo usu ut alio quo modo nodum solvere cogamur. Ac mihi quidem non fortuito factum videtur, ut omnibus his locis altera et tertia syllaba λ consona conjungantur. Hujus enim litterae pronuntiatione eas syllabas artius conjungi et quasi in unam contrahi neminem fugiat, quare haud scio an metri labes in his versibus statuenda nulla sit.

Quae solutiones his excusationum ansis destitutae sunt, eas emendatione egere equidem censeo. Ac primum quidem omnibus rhythmicis legibus repugnat initium Lys. v. 24 codicibus N et R sic traditum: καὶ νῆ Δία παχύ. εἶτα. Blaydesius quidem eam scripturam ut legitimam in textum recepit atque in annotatione critica ad hunc versum excusationem peti posse putat „ex eo quod raptim haec pronuntiantur“. Quamquam vero accelerari verborum pronuntiationem equidem non nego, tamen ea talem solutionem excusari minime credo, cum verba Δία et παχύ nullo sententiae vinculo artiore inter se conjungenda sint, id quod ceteroquin in talibus solutionibus ab Aristophane observatum esse iterum atque iterum demonstrare potero. Primus hujus versus numeros Dindorfius horrebat et in annotationibus Oxoniensibus p. 758, qua utitur nonnunquam in versibus emendandis audacia, per contractionem prorsus singularem scribi jubet καὶ νῆ Δι παχύ. κᾶπειτα. Rectiore judicio, si quid video, Meinekius vitium in voce καί quaesivit, quae quam facile ex priore versu in hunc transferri potuerit, facile intellegis atque re vera a parte codicum omittitur. Itaque quam in vindiciarum

Aristophanearum libro pag. 117 proposuit emendationem *νή Δία πάνυ παχύ*, eam libentissime accipio sed ita ut inversis vocabulis scribere malim *παχύ πάνυ*; sic enim oritur solutio, qualem ut legitimam attulimus in Thesm. v. 916 *ταχύ πάνυ*.

Non minus depravatis numeris laborat Lys. v. 102 *ὁ γοῦν ἐμὸς ἀνήρ*, quem Egerus recto iudicio Aristophaneae consuetudini non respondere ratus ita emendare studuit ut proponeret *ὁ γοῦν ἐμαντῆς*, quam conjecturam ego libentius amplector quam emendationem a Bergkio tentatam in Zimmermanni diurnis 1835, p. 948 *ὁ γοῦν ἐμὸς ἀνήρ* proponente.

Omnibus recentioribus editoribus omnibus numeris absolutus videtur esse Av. v. 1575, quem sic legimus in libris: *ἐμοῦ (γ') οὐ τὸν ἀνθρώπον ἄγγχει βούλομαι*. In hoc versu alterius pedis solutio tantum abest, ut Aristophanis sapiat usum, ut contra talis insoliti tribrachii par exemplum per omnes ejus fabulas non reperias. Itaque eum ea, qua codicibus exhibetur forma, probum esse etiam atque etiam nego atque cum Richtero (Vesp. 853) qui primus de versus sanitate dubitavit, scribatur propono, *οὐτι τὸν ἄνδρ' ἀπάγγχει βούλομαι*.

Denique ut ostendam, ad quas incredibiles conjecturas homines docti in nostri fabulis emendandis versantes interdum progressi sint opinione ducti, Aristophanem omnibus syllabarum longarum solutionibus veniam concessisse, duas nuper a Meinekio in vindiciarum libro publicatas afferam atque inquiram lectiones. In Nub. v. 663 suo jure improbandum esse ratus anapaestum a tribracho exceptum rectam denique hujus loci emendationem invenisse sibi videtur, cum conjicit *ἀλέκτορα κατὰ τοῦτον*. Nimirum ignorabat, Aristophanem non usque eo licentiae progressum esse, ut longae solutae syllabas breves in duo distribueret vocabula, quae nulla ne minima quidem necessitate continerentur. Itaque pro eo, ut emendatiorem redderet versus rhythmum, etiam magis insolitam versui intrusit pedis solutionem. Haud scio an pridem hujus loci recta lectio inventa sit G. Hermanni sagacitate, qui scribit: *ἀλεκτρούνα καὶ ταῦτό καὶ τὸν ἄρρενα* (cf. caput in quo agitur de proceusmatico).

Etiam graviorem notam meruit Meinekios ob conjecturam

suam in Eccl. v. 1124 inductam, ubi *ἐκλεγόμενας* verbum sententiae et metro aptissimum mutat in *ἐκλεγόμενος* ut tribrachus existat, cujus breves longae loco positae syllabae duobus nullo vinculo cohaerentibus vocabulis tribuuntur.<sup>1)</sup>

### III. De tribrachis tertii pedis.

In hoc quoque pede haud magno labore opus erit, pedum post priorem arsis solutae incisorem reperire excusationes. Ad horum autem tribrachorum solutiones natura fert ut non minimum contulerit caesura semiquinaria, quae hic locum suum habet. Ac primum quidem saepissime tribrachorum alterum tempus exprimitur articulo, quem cum sequente nomine quasi unam facere vocem non est, quod iterum moneam: Ach. 134 *προσίτω Θέωρος ὁ παρὰ Σιτάλκους*, 156 *τοῦτι τί ἐστι τὸ κακόν*, 1054 *ἀπόφερε τὰ κρέα*; 5 *ἐγὼ δ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ*; 596 *ἀλλ' ἐξ ὄτου-περ ὁ πόλεμος*; Nub. 657, 1199; Equ. 203; Vesp. 74, 223, 799; Pac. 181, 192, 700; Av. 168, 1007; Lys. 88; Thesm. 517, 923; Ran. 32; Plut. 40, 47, 452, 484, 821. Eandem habemus arctam conjunctionem cum alterum tribrachi tempus constat praepositione vel conjunctione vel pronomine (sive natua sua est monosyllaba sive bisyllaba vox elisione ad monosyllabae mensuram redacta est):<sup>2)</sup> Equ. v. 1226 *ἐγὼ δ' ἐκλεπιον ἐπ' ἀγαθῶ*;

<sup>1)</sup> Quam ipse statui regulam et comprobare studeo, ne umquam plane dilacerentur syllabae natura cohaerentes, eam quam non perspiciat etiam Car. Muellerus in libro de pedibus solutis tragicorum vel maxime monstrat pag. 56, (11 et 12), ubi El. v. 324 ex librorum scriptura *οὐπώπορ' οὐ χάσ* Piersoni audacia corruptum in *οὐπώποτε χάσ* nulla re differre contendit ab Jon. v. 931 *τί φής; τίνα λόγον* et Iqh. A. v. *τίκτω δ' ἐπὶ τρισί* et Bach. 940 *διαν παρὰ λόγον*. Quorum versuum tribrachi quam diversi sint ab illo Piersonio nemo primo ut ita dicam aspectu non intellegit et Muellerus eo ipso loco ostendit se solutionum rationem et naturam non penitus perspexisse.

<sup>2)</sup> Hanc pronominum quorundam arctam cum insequentibus con-sociationem non recte intellegere videtur Car. Muellerus (de ped. sol. p. 36, 5), cum in Phil. 1029 *τί μ' ἀπάγεσθε* et 1247 *δίκαιον, ἃ γ' ἔλαβες* monosyllabon neque cum antecedente neque cum consequente arcte cohaerere contendat.

Lys. 31 ἐν ταῖς γυναιξίν; ἐπ' ὀλίγω; Ran. 1407 ἔμοιγε κατ' ἔπος; Plut. 628 ἄνδρες ἐπ' ὀλιγίστοις; Thesm. 1183 πρότεινον ἢ ὑπολύσω; Ach. 45 ἤδη τις εἶπε· τίς ἀγορεύειν βούλεται; Plut. 842 τὸ τριβώνιον δε τί ὀνομάται; Vesp. 905 κάθιζε· σὺ δ' ἀναβάς; Thesm. 740 (δῆτα) σὺ δ' ἀπόκριναι, 764 προτιάνειν ἢ πεποῖηκα, 929 πανοῦργος ὃν ἔλεγε; Plut. 811 γέμονσι, τὸ δ' ὑπερῶον. Huc referam Vesp. v. 1400 χαρίεντα μὰ Δία et Pluti versum 484 δέ δὴ ἀποχρήσουσιν, ubi syllabae longae loco positae elisionis vi continentur. In his omnibus versibus a tertio tribrachi tempore longius oritur vocabulum. Alteram et tertiam tribrachi syllabam singulis verbis monosyllabis expressam invenimus: Lys. 873 δεῦρο· μὰ Δί', Thesm. 748 αὐτὸ μὰ τόν; Lys. v. 938 σε, μὰ τόν, quibus locis monosyllabas voces inter se maxime junctas cum sequentibus non minus conjungendas esse (sive sententia sive elisione) statim intellegimus. Monosyllabae alterum et tertium tempus explentes atque etiam inter se conjunctae, cum altera tertiae, tertia alteri maxime adnectenda sit, occurrunt: Equ. 224 αὐτὸν ὃ τε; Nub. 39 τὰ δέ; Vesp. 793 ὃ δέ; Av. 1309 σὺ δέ, 1390 σὺ μὲν; Pac. 546 ὃ δέ, 255 τί με; Plut. 157 ὃ δέ, 722 ὃ δέ, 1179 ὃ μὲν.

Neque offensionem praebet nobis vulgatae lectio in Av. v. 994 τίς ὃ κόθορνος, ubi duae monosyllabae sententia cum proximis artissime conjungendae sunt, ut solutio oriatur, qualem legimus in primo quoque pede versuum Vesp. 1501, Fragm. 505a.

Quod supra indicavimus, in hujus pedis solutiones plurimum contulisse caesuram semiquinariam, quam vocant, hac sede locum suum habentem, omnes quos adhuc attulimus loci satis superque ostendunt, in quibus monosyllaba arcte insequenti verbo socianda sit. Itaque quae per cunctas Aristophanis fabulas in duobus versibus nobis praebentur huic observationi officientes solutiones, eas quoquo modo remove non dubitamus idque eo libentius, cum tribrachorum tertii pedis similitudinem assequamur cum hujus pedis dactylis, quorum et ipsorum nostrae caesurae repugnantia paucissima exempla emendanda esse infra docebimus. Ac primum quidem accuratius perquirendus est Av. v. 1588, quem prorsus ἀμέτρως legimus in codicibus, cum Ravennas

praebet *παρὰ τῶν θεῶν περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῆς διαλλαγῆς*, codex B *περὶ πολέμου καταλλαγῆς*, codices A. S. V. *περὶ τοῦ πολέμου καὶ καταλλαγῆς*. Quae verba ad trimetri formam ita redigere conabantur Dindorfius et Bergkii, ut scriberent *παρὰ τῶν θεῶν περὶ πολέμου διαλλαγῆς*. Oritur sic bisyllabae praepositionis in altera tribrachi syllaba conclusio, qualis solutionis in ceteris pedibus satis magnum deprendimus numerum. Sed cum in tertio plane singularis exstet, ne hac emendatione genuina scriptura inventa non sit, maxime vereor. Accedit quod ante verbum *πολέμου* articulo aegre caremus. Etiam minus probari potest, quam Blaydesius proponit, lectio: *πολεμοῦ περὶ καὶ διαλλαγῆς*, cum et quartus pes anapaesto vitietur intolerabili (cf. Curtii Bernhardii disputationem de incisionibus anapaesti in Actis soc. philol. Lipsiensis I, 245—286) et hic quoque articulus ante *πολέμου* desideretur. Rectiore iudicio usi esse mihi videntur Meinekius et Kockius, quorum ille scribendum proponit *περὶ τοῦ πολέμου καταλλαγῆς*, hic *περὶ τοῦ πολέμου διαλλαγῆς* (cujus emendationis in annotationibus mentionem non facit). Alterutra harum conjecturarum recepta neque librorum lectio nimis conturbatur et versus numeri eleganter profluunt. Hoc loco commonere velim de Ran. v. 1436 *ἦντιν' ἔχεται περὶ τῆς πόλεως σωτηρίαν*, qui si probatur mea verborum transpositio suo loco (pag. 30) commendata, simillimum praebet rhythmici et structurae exemplum.

Haud majore difficultate removetur alter tali modo conformatus tribrachus in Lys. v. 993 *ἀλλ' ὡς πρὸς εἰδόμεναι με σὺ τάληθῆ λέγε*. Etenim jam Porsonus in insolitis librorum numeris offendens scripsit *εἰδόμεναι* sic tollens illam si non in aliis at hoc quidem pede insolitam solutionem et elegantiores reddens sine dubio numeros. Causa, cur in hoc ipso pede illa alias saepissime usitata forma vetita sit, inde petenda est, quod enclitica *με* quasi ultima antecedentis verbi habita syllaba oreretur versus in duas aequales partes divisio, quam ubique ab Aristophane vitatam esse neminem accuratius rem indagantem fugiet. Quam ob ipsam causam suspecta mihi est emendatio a Reisigio proposita in Equ. v. 1350, qui in Conject. pag. 255 ut scribatur

suadet δύο γε. Rectum hoc loco vidit Porsonus γε δύο proponens, quam lectionem omnes recentiores editores recipere non dubitaverunt. [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Postremo sententiam meam proferam de Eccl. v. 151 ἐβουλόμην μὲν ἔτερον ἂν τῶν ἡθάρδων, qui in aliis libris manuscriptis aliter conformatus nondum medelam accepit ab omnibus hominibus doctis uno consensu receptam. Maximam dubitationem mihi movet ἂν particula alteram tribrachi syllabam explens; nam ejus solutionis exempla certa quartus tantum pes duo eaque, ut infra demonstrabo, certis de causis satis excusata praebeat (cf. p. 20). Mihi quidem dubium non est, quin scriptura depravata sit et, cum codex R mutato verborum ordine μὲν ἔτερον ἂν praebeat, ut numeri orientur maxima procedentes elegantia, eum esse genuinum verborum ordinem maxime crediderim.

#### IV. De tribrachis quarti pedis.

In quarto pede cum eadem fere solutiones occurrant, quae in secundo pede, eodem atque in illo pede usus ordine tribrachos ab Aristophane liberiore modo compositos exponam.

Ut in tertio pede penthemimerim, ita in hoc hephthemimerim ad solutionum speciem magnam habere vim quivis facile intellegit. Satis magnus numerus obviam est in hoc quoque pede tribrachorum ita compositorum, ut altera syllaba expleatur voce monosyllaba sed ea usquequaque ad vocabulum insequens pertinente. Ita articulus hanc sedem explet: Ach. 22 φεύγουσι τὸ μεμλιτώμενον; Equ. 1048 ἔφραζεν ὁ θεός; Vesp. 47 ἀλλόκοτον ὁ Θέωρος; 173 ἀλλὰ τὸν ὄνον; Pac. 241, 437; Av. 864, 1149; Lys. 159, 200, 396; Thesm. 78, 246, 256, 1126; Ran. 183, 563, 801, 1144, 1154, 1262, 1434; Eccl. 172, 1037 (si Bergkii sequimur lectionem); Plut. 7, 740, 789, 794, 878, 913, 1016. Non minus articuli brevibus formis pertinet ad vocem sequentem jurisjurandi particula μᾶ: Av. 1237 ἀλλὰ μᾶ Δί', 1497 ἐνταῦθα μᾶ Δί'; Eccl. 553 ἄρτι μᾶ Δί', 1088 δεῦρο μᾶ Δί'; Plut. 359 ἀποτρόπαιε μᾶ Δί', 444 σῆθι μᾶ Δί'. Praepositiones et conjunctiones articuli partes explent: Av. v. 964 ἐχρησμούργεις

σὸ πρὶν ἐμέ; Pac. 661 αὐτοῖσι πρὸς ἐμ'; Av. 964; Eccl. 880; Plut. 244. Compluribus locis in hac sede posita sunt nomina, quae tamen nunquam sunt enclitica natura sed sententia cum insequentibus conjuncta: Ach. 540 ἀλλὰ τί ἐχρῆν; Nub. 26 τὸ κακὸν δ' μ' ἀπολώλεκεν; Av. 1459 δεῦρο, σὸ δ' ἐκεῖσ'; porro Ach. 914; Equ. 1240; Vesp. 1000; Pac. 250; Av. 1675; Thesm. 627, 1176, 1204; Plut. 908, 998; Lys. 408; Fragm. 533 τ. Nonnunquam bisyllabae praepositiones, conjunctiones, aliae bisyllabae voces cum sequentibus natura sua cohaerentes occurrunt hoc loco elisione breviatae eoque cum insequentibus conjunctae: Ach. 244 θύγατερ, ἴν' ἀπαρξώμεθα; Nub. 19 γραμματεῖον, ἴν' ἀναγνῶ, 1152 παρῆσαν, ὅτ' ἐδανειζόμεν, 1273 ὥσπερ ἀπ' ὄνου; Av. 146; Pac. 415, 938; Lys. 904, 1122; Thesm. 12, 1162; Ran. 9, 29, 1162, 1196; Plut. 66, 912; porro Equ. 651; Lys. 766; Av. 1621; Vesp. 1189; Ran. 291; Fragm. 145 τ. Etiam in hoc pede singulae voces monosyllabae alterum et tertium tribrachi tempus exprimunt ita, ut, cum altera alteri maxime se acclinet, bisyllabam aequent vocem. Huc cadunt: ὃ τι in Nub. v. 731 (πρωτων ὃ τι); Pac. 189, 1257; Lys. 96, 98, 1232; Thesm. 751; Eccl. 207, 350, 770; ὃ γε, τό γε, σέ γε: Vesp. 84; Eccl. 569; Plut. 712; ὃ δέ: Nub. 14; Lys. 163, 165, 393; σὸ δέ: Av. 845; Thesm. 730; Eccl. 469; τί γάρ: Av. 1501; Eccl. 853; Plut. 1172; σὸ γάρ Lys. 140; σέ τε: Eccl. 869; σὸ μὲν: Equ. 13; τί με: Ach. 959.

Nulli superiorum excusationum quadrari possunt, quas in Thesm. v. 8 οὐχ ἃ γ' ἄν ἀκούειν et Eccl. v. 1087 πλητῆρας ἄν ἀπεκναίετε legimus solutiones, quae eo magis nobis dubitationem moveant, cum in ceteris pedibus ἄν particula alteram tribrachi syllabam explens non reperiatur nisi semel in primo, semel in tertio pede (Eccl. 474 et Eccl. 151), quos locos ex meliorum codicum autoritate meo jure emendasse mihi videor (v. p. 9 et p. 19). Nihilo minus lectio versuum, de quibus hic agitur, adeo firmata est, ut eos tentare non ausim atque excusationem tam insolitae solutionis inde petere velim, quod ἄν particula artissime se conjungat insequenti verbo Praeterea neminem fugiat in utroque versu antecedentis similitudinem a poeta de



industria petitam esse (Thesm. v. 7 οὐχ ἄ γ' ἂν μέλλης δοῶν; Eccl. v. 1086 χαλεπαὶ γ' ἂν ἴστε γινόμεναι πορθμῆς).

Insolita forma praeterea obviam fit in Thesm. v. 1191 ὄ ὄ ὄ παπαπαππα, ubi quin interjectiones arcissime jungamus nil obstat, atque etiam talis pronuntiationis omnis necessitas adest.

Haud ita saepe finitur in altera tribrachi syllaba longius vocabulum, quod aliquo vinculo non indubitato cohaerere debere cum sequente voce non est quod iterum moneam. Atque arcissima quidem conjunctio evadit, cum tertia syllaba constat monosyllaba voce sed ea cum verbo antecedente maxime conec-tenda ejusque quasi ultimam reddente syllabam. Quod quidem invenimus in Equ. v. 1159 ἐμέ τε; Nub. v. 1353 πολὺ γε; Av. v. 71 ὅτε περ; Lys. v. 148 et Ran. v. 1384 πολὺ γε; Plut. v. 471 ὄ τι ἄν. Eadem arcta syllabarum sociatio existit inter prae-positionem bisyllabam ejusque casum: Nub. 839 ὑπὲρ ἐμοῦ; Vesp. 1252 διὰ χρόνου; Av. 919 κατὰ τὰ Σιμωνίδου; Ran. 500 κατὰ σέ; Eccl. 557 κατὰ πόλιν; Plut. 179 διὰ σέ. Elisione breviatur longius vocabulum itaque sociatur cum insequente: Equ. v. 728 ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας; Nub. 29 πατέρ' ἐλαύνεις; Vesp. 69 πατέρ' ἐπέταξε; Av. 1523 τὰμπόρι' ἀνεργμένα; Ran. 488 εἰργάσαι' ἀνήρ; 490 προσέτ' ἀπεψησάμην. Quibus pausarum lenimentis etsi destituti sunt pauci alii versus, tamen cur eos in dubium vocemus causa non est, cum facile aliud quod prae-sidium ad eos tuendos reperire possimus. Ac primum quidem in elocutione ἀντίκα μάλα, quae occurrit: Equ. v. 746; Av. v. 202; Lys. v. 739, 744; Ran. v. 785, ne minime quidem esse haerendum jam supra (p. 13), cum eadem elocutio in secundo pede occurreret, indicavimus. Non magis sollicitem lectionem Nub. v. 817, qui in omnibus libris manuscriptis sic legitur οὐκ εὔ φρονεῖς μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον, utpote in quo juris-jurandi haec solennis formula quasi unum formet vocabulum atque tribrachus non minus excusationem exposcat, quam dactylus in Av. v. 1657 οὗτος δὲ Ποσειδῶν. Miror ipsum Meinekium in vindiciarum libro hanc solutionem aegre ferre, cum ceteroquin Aristophani in talibus versibus maximam vindicet libertatem. Ipsius conjecturae Δί' οὐ τὸν Ὀλύμπιον haud facile

exclamationis simile exemplum reperias. Etiam minus timemus in justarum solutionum numerum recipere tribrachum Av. v. 1381 ἀλλ' ὃ τι λέγεις, qua de solutione quid sentiam, jam supra demonstravi (cf. pag. 14).

Verum nullo modo adducor, ut commodam habeam, quam in Vesp. v. 767 legimus solutionem ἄπερ ἐκεῖ πρόκειται, quippe in qua syllabae breves arsis loco positae plane dilacerentur neque ullo contineantur vinculo. Rectissime hoc animadvertit Dobraeus atque felicissime, si quid video, emendavit ἂ κακεῖ πρόκειται. Minus probabiliter de hoc versu nuper iudicavit Meinekius in vindiciarum libro p. 30, qui nil reperiens insoliti in hac solutione neque tamen probum esse versum ratus in voce ταῦθ', quam quo referat in ambiguo est, vitium latere contendit atque pro ea πρότθ' ut scribamus suadet, cum arbitrium nobis relinquat, utrum ἄπερ ἐκεῖ an ἂ κακεῖ anteferamus. At equidem plane non intellego, cur vocem ταῦθ' tentemus, cum facillime atque ex grammatica ratione rectissime in verbum antecedens δικάζε referatur, cui structurae non obstat illud antecedens περι τοῦ, quod item saepissime verbo δικάζειν sese conjungens a proprio pendeat subjecto. Utique ultra lectio Meinekiana alteri ad metricam disciplinam praestet, nobis ambiguum esse non jam potest.

## V. De tribrachis quinti pedis.

Rarissime inveniuntur tribrachi post alteram syllabam incisi in quinto pede videlicet ob eam causam, cum hic pes ad versus finem proxime accedens numeros desideret quam maxime legitimas, ut solutionum omnino haud ita patiens sit. Ac profecto numeros impeditius progredientes in nullo deprehendas versu, immo in solutiones, quaecumque obviam fiunt, excusationum ansas ex pedibus superioribus satis notas transferre possumus. An etiam quis paululum haerebit in tribrachis, quos legimus in Equ. v. 1245 πότερον ἐν ἀγορᾷ, 1392 οὐ γὰρ ὁ Παφλαγών, quorum in priore praepositio, in altero articulus quasi primam sequentis vocis efficiat syllabam. Neque magis puto Av. v. 1677 τὸ προᾶγμα. τί οὐ λέγεις medela indigere, in quo versu mono-

syllabas voces proxime conjungi inter se et cum sequente vocabulo non est quod iterum moneam. Plane similiter conformatam solutionem habemus in Thesm. v. 632, si probamus Engeri emendationem scribentis *ταυτί μὲν ἠκουσάς σὺ τί δὲ τρίτον*, cum prima monosyllaba cum antecedente verbo conjungenda sit, altera et tertia quasi unam forment bisyllabam vocem. Widegrenus num talis solutio ferenda sit, aliis dijudicandum relinquit (cf. de numero et conformatione pedum solutorum § 5, 6). Certe non minus bene versui consulitur, si vel cum Bentleio omisso *σύ* scribimus *τί δ' αὖ τρίτον*, vel cum Elmsleio *τί δαί τρίτον*, vel cum Fritzschio *τί δ' ἦν τρίτον*. Plane vero rejicienda est Brunkii lectio *τί δὲ τὸ τρίτον*, cum talis solutio tantum in primo pede locum habeat.

Duo versus nobis tribrachos praebent, in quorum altera syllaba longius terminatur vocabulum, sed quibus item formis ex similitudine locorum jam superioribus pedibus probatorum statim veniam vindicabis. Sunt Pac. v. 538 *ἴθι νῦν ἄθρει*, ubi encliticam *νῦν* omnem adimere offensionem luce clarius apparet, et Ach. v. 830 *τὰ χοιρίδι' ἀπέδον*, ubi ultimae longioris vocabuli elisio solutionem probam reddit neque offendendum in hac omnium librorum lectione, quamquam libenter concedo multo elegantius processuros esse versus numeros, si cum Elmsleio scriberetur *ἀπέδον τὰ χοιρία*.

## VI. De dactylis primi pedis.

Ad dactylorum si jam nos convertimus formas post priorem brevem syllabam incisas, eorum libertatem ac licentiam etiam latius patere videbimus, quam tribrachorum similiter incisorum. Cujus rei in primo quidem pede causam inde derivandam esse puto, quod saepissime in versus initio conjunctiones et pronomina trochaica mensura ponenda erant, quae maximo tantum labore textui inseri poterant, nisi poeta liberiore sibi sumpsisset numerorum pangendorum rationem. Et nisi fallor, ut liberius tractaret dactyli formas, Aristophanes ea re adductus est, quod longa antecedens liquidiorum pedis soluti reddit pronuntiationem.

Hoc quoque loco se junctim libet tractare solutiones, quarum prior syllaba brevis exprimitur vocabulo monosyllabo ab eis, quae post priorem brevem syllabam verbi bisyllabi finem ostendunt.

Prior arsis solutae syllaba proxime continetur cum voce insequente, si articuli breves formae hunc locum obtinent: Ach. 125 *εἰς τὸ πρῶτανεῖον*, 867 *νῆ τὸν Ἰόλαον*; Equ. 958 *οὐ τὸν ἐμόν*; Nub. 104 *ὦν ὁ κακοδαίμων*; Av. 437, 836; Thesm. 33; Ran. 105; Eccl. 1056; Plut. 955; Fragm. 306. Articuli loco legimus praepositiones non minus arcte cum insequentibus conectendas: Ach. 21 *οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ*; 615 *οἷς ὑπ' ἐράνου*; Plut. 888 *οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ*, 1001 *καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις*; Fragm. 300 b *καὶ κατ' ἀγαθόν*, sive particulam *μά* in jurisjurandi formula *καὶ μὰ Δία*: Vesp. 134, Pac. 416. In nonnullis versibus bisyllaba vox elisione mutilata cum insequente nomine cohaeret: Nub. 261 *ἀλλ' ἔχ' ἀτρεμεῖ*; Av. 162 *ἦ μέγ' ἐνορῶ*, 1601 *τὸν Δί' ἀποδοῦναι*; Lys. 933 *νῆ Δί' ἀπολοίμην*; Eccl. 536 *ἀλλ' ἔμ' ἀποδύσασ'*; Plut. 379 *τὸ στόμ' ἐπιβύσας*. Sententia cum sequentibus arcte conjungenda est media syllaba in solutione Lys. v. 438 *καὶ οὐ μετὰ*. Cujus generis multa enumeravimus in primi pedis tribrachis exempla, ut *μέν*, *δέ*, *γάρ* particulae alteram solutionis syllabam explentes primam et tertiam quasi vinculo quodam contineant, ejus inter primi pedis dactylos quoque nonnulla extant exempla: Ach. 403 *οὐ γὰρ ἄν*; Lys. 163 *οὐ γὰρ ἔτι*; Eccl. 560 *οὐ γὰρ ἔτι*; Vesp. 1299 *οὐ γὰρ ὁ γέρων*; Pac. 17 *οὐ γὰρ ἔτι*; Ach. 602 *τοὺς μὲν ἐπὶ*; Nub. 1230 *νῦν δὲ διά*; Av. 447; Lys. 235 *εἰ δὲ παραβαίην*; 1634 *τὴν δὲ βασιλείαν*; Plut. 747 *τὸν δὲ Νεοκλείδην*. Compluribus locis ἄρα particula elisione brevata in ἄρ' hac sede obviam fit, quam elisio arcte cum insequentibus conjungit: Ach. 90 *ταῦτ' ἄρ' ἐφενάμιζες*; Nub. 1252 *οὐκ ἄρ' ἀποδώσεις*; Thesm. 168 *ταῦτ' ἄρ' ὁ*; Eccl. 389 *οὐδ' ἄρ' ἄν*. Atque ne eas quidem dactylorum formas sollicitandas esse, quarum prior arsis solutae syllaba particula ἄν expletur, complures loci luculenter demonstrant. Huc pertinent: Nub. 755, 1250 *οὐκ ἄν ἀποδοίμην*; Pac. 848 *οὐκ ἄν ἔτι*; Av. 1126 *ὥστ' ἄν ἐπάνω*, 1289 *εἴτ' ἄν ἐνέμοντο*. Porro Ran. 488 *οὐκ ἄν ἕτερος*, si codicis V probamus verisimilem scripturam. Quid quod quam nullus omnino

tribrachus patitur numerorum licentiam, ut enclitica in priore arsis syllaba ponatur, ea in dactylis primi pedis nobis duobus versibus indubitatis tradita est: Pac. v. 444 *εἴ τις ἐπιθυμῶν* et Thesm. v. 335 *εἴ τις ἐπιβουλεύει*. Excusationem huic libertati inde fieri mihi verisimile est, quod pronomen *τις* efficiat graviolem enuntiatam partem atque ita graviolem voce pronuntiam possit. Ter arsis syllabae singulis vocibus monosyllabis expressae sunt, quae arcte inter se cohaerent et quasi unam formant voculam bisyllabam: Ach. 914 *καὶ σέ γε*; Thesm. 486 *καὶ ὁ μὲν*; Plut. 473 *καὶ οὐ γε*.

Priusquam solutionum, quarum altera in syllaba terminatur vox bisyllaba, fusius exponam condiciones, errorem refutabo, de quo Engerus in disputatiuncula sua lectoribus persuadere studet. Cum enim voces bisyllabae maximam partem compositae sint ex binis monosyllabis, in hac compositione causam positam esse contendit, cur hanc solutionem ut legitimam poeta probaverit. Ex eis ipsis, quae adhuc de tribrachorum solutionibus disputavi, facile sequi nobis videtur verbi alicujus compositionem ita non talis libertatis excusationem afferre posse, ut contra, si re vera de verbi compositione cogitetur, hoc solutioni obstaculo esse debeat. Nam ubique servata est regula, ne arsis solutae syllabae umquam duobus tribuantur vocabulis, quae non aliquo contineantur vinculo neve unquam ob eam rem prior arsis solutae syllaba enclitica exprimatur, quae antecedenti sese acclinans vocabulo ab insequente sejuncta sit. Ac profecto ipse Engerus intellexit, quam statuit regulam, eam non usquequaque sustineri posse atque cum plures versus voce ἀλλὰ inchoari videret, hanc certe voculam, etsi composita non esset, justum ordiri pedem concessit. At mihi quidem illam regulam funditus perversam esse persuasum est, cum Aristophanem non multum curavisse ex insequentibus exemplis appareat, quomodo conjunctiones et nomina trochaei expletia tempora (neque vero pyrrichii ut *ὄτι ὄτε*, quod Engerus contendit) versuum initii insereret, modo expedite ac libere pronuntiam et cum insequentibus conjungi possent.

Ceterum ne in his quidem plerisque solutionibus difficile erit excusationis quasdam causas, quibus saepius solutionibus

praesidium parari vidimus, investigare. Ac primum quidem in nonnullis versibus verbum trochaicum bisyllabum sequitur enclitica vel aliud antecedenti verbo proxime se acclinans monosyllabon, ut artissime contineantur arsis solutae syllabae: Nub. 244 *ἀλλά με*; Av. 1465 *οἰοί σε*; Eccl. 812 *δεῖνά γε*; deinde Nub. 207 *αἶδε μὲν*; Ran. 4 *τοῦτο δέ*; 807 *οὔτε γάρ*; Eccl. 1053 *τοῦτο γάρ*; Plut. 408 *οὔτε γάρ*; tum Av. 181 *οὐδὲν ἄρ'*; Vesp. 20 *οὐδὲν ἄρα*; Nub. 1219 *ἐχθρὸς ἔτι* (solutio injuria Engero suspecta); Ran. 117 *μηδὲν ἔτι*. Haec ultima exempla fere nihil differre ab illis superioribus quis neget. Elisione ultimae trisyllabi vocabuli syllabae continentur tempora: Thesm. 29 *ἐνθάδ' Ἀγάθων*; Ran. 1171 *Αἰσχὺλ' ἀνύσας*. Ex encliticae elisione etiam his locis excusationem peto: Nub. 1479 *μηδέ μ' ἐπιτρώφεις*; Pac. 693 *οἶά μ' ἐκέλευσε*; Plut. 1182 *κἀμέ γ' ἐκάλει*. Compluries bisyllabum verbum trochaicum sententia cum insequente longiore vocabulo ita arcte continetur, ut unam duae voces notionem reddere videantur. Quod quidem vel maxime apparet in elocutione *δῆλον στι* Plut. 826, 1003; deinde in *πολλὰ κακά* Eccl. 436 et in *οὗτος ὁ Τοσειδῶν* Av. 1657. Sententiae vinculum satis praebere excusationis, cum continentur pronominum accusativa cum insequentibus verbis, exemplis allatis nemo jam infitiabitur: Thesm. 66 *μηδὲν ἐκέτευε*; Eccl. 795 *ταῦτα καταθείην*; Vesp. 172 *αὐτὸν ἀποδοίμην*; Equ. 23 *αὐτὸ φάθι*. Quorum versuum primum tantum genuinam praebere formam Engerus putat atque id falsa ductus opinione, cum in *μηδὲν* verbi compositione quaereret genuinitatis indicium. Quod cum ceteri versus non haberent, eos omni modo emendare studet atque mirum in modum se torquet, ut aliquam quamvis longe arcessitam excogitet emendationem. Nos quidem ex ea causa, qua Engerus ductus est, versus in spuriorum numerum referri nunquam concedemus; immo quae est Aristophanis in dactylorum primi pedis usu libertas ac licentia, quattuor solutiones eodem modo comparatae atque codicum auctoritate firmatae aptae atque idoneae nobis videntur, quae certam indicent illam Aristophanis in versibus condens rationem, quam in hujus capituli initio notavimus. Tanta enim erat nostri poëtae in primi pedis dactylis conformandis

incuria, ut nonnulla exempla praesto sint, quae eum arctiorem vocis bisyllabae cum sequentibus sociationem non appetiisse docent: Av. 1500 ἀλλὰ σὺ τίς εἶ; 1693 ἀλλὰ γαμικὴν; Lys. 463 ἀλλὰ τί γάρ ῥον; Eccl. 351 ἀλλὰ σὺ, 723 ἀλλὰ παρὰ δούλοισι; Plut. 1157 ἀλλὰ δόλιον; Thesm. 414 εἶτα διά (ab Engero in dubium vocatus); Ach. 616 ὄσπερ ἀπόνιτρον; Vesp. 1167, Av. 441 ἤνπερ ὁ πύθηκος; Lys. 84; Eccl. 380; Plut. 151, 345, 421. Verum etiam atque etiam nego, dactylorum arsim ita duabus syllabis exprimi posse, ut interpunctio inter eas intercedat. Quod quidem recentiores editores in Ran. v. 1189 πῶς γάρ; ὅτε δὴ accidere putant. Ad hujus versus solutionem illustrandam sufficiat brevibus repetiisse ea, quae in primi pedis solutionibus exposui (cf. p. 10). Plane enim abhorret ab Aristophanis in pedibus solvendis ratione, pausa quamvis pusilla dividere eas syllabas, quae cum unius longae vicem teneant, natura ac metro arctissime conjungendae sunt. Itaque aliquo modo metro sanandum esse existimo atque equidem maxime velim interpunctionis insequentis vi et auxilio trochaicam πῶς γάρ elocutionis mensuram spondaicam reddere. Qualis productionis certum exemplum ipse Aeschylus praebet in Choeph. 655, aliud indubitatum Aristophanes in Pacis versu 663 εἶεν ἀκούω, cui adjungam v. 1284 εἶεν ἐκόρεσθεν.

## VII. De dactylis tertii pedis.

Caesuram semiquinariam mirum non est vim ac momentum etiam in dactylorum huc cadentium formis praebere. Etenim longe maxima pars dactylorum divisorum ita formata est, ut longa syllaba exprimatur longioris vocabuli ultima syllaba, prior brevis syllaba monosyllabon continens alteram inchoet versus partem. Neque vero severe studuisse Aristophanem, ut hac divideret versum caesura, ex eo apparet, quod saepius dactyli longa monosyllaba voce expressa est non cum antecedente sed cum consequente verbo conjungenda. Nos quidem hoc quoque loco id tantum nostrum esse putavimus, ut Aristophanem demonstremus numquam duas syllabas breves arsis tempora explentes interpunctione aut alia sententiae pausa dividere, immo omnibus

locis id studere, ut, si quando binis vocabulis eas syllabas breves tribuat, illa semper aliquo cohaereant vinculo. Atque in eis quidem dactylis, quorum altera syllaba voce monosyllaba expressa est, prioris brevis syllabae cum insequente longiore vocabulo conjunctio existit, cum ea prior arsis syllaba expletur articulo, ut Ach. 32 *εις τὸν ἀγρόν*, 158 *Ὀδομάντων τὸ πέος*, 1118 *καθελών μοι τὸ δόρον*; Equ. 116 *αὐτὸν τὸν ἱερόν*, 234 *κακοδαίμων ὁ Παφλαγών*, 484, 537, 644, 652, 1029, 1050; Nub. 26, 116, 188, 228, 244, 734, 791, 1180, 1229; Vesp. 68, 139, 177, 902, 972; Pac. 34, 64, 252, 265, 906; Av. 931, 956, 1207, 1251, 1451, 1656; Lys. 47, 216, 403, 932, 997, 1012; Thesm. 517, 619, 901; Ran. 31, 64, 309, 1279, 1304, 1415; Eccl. 317, 712, 842, 1053, 1070, 1119; Plut. 3, 431, 721; Fragm. 360. Articuli officio aptissime funguntur praepositiones et conjunctiones, praesertim cum elisio altera accedat syllabarum copulandarum necessitas. Huc revocandi sunt v. v. Ach. 625 *ἀγοράζειν πρὸς ἐμέ*, 722, 1007 *φέρει τοὺς ὀβελίσκους, ἴν' ἀναπειρῶ*; Equ. 67 *Ἵλλαν δι' ἐμέ*, 1255; Pac. 931; Av. 24, 194, 845; Lys. 887; Thesm. 84, 578, 1193; Ran. 673; Eccl. 152, 849; Fragm. 494. Compluribus locis prior arsis syllaba pronominis interrogativi vel relativi expletur formis: Vesp. 944 *τί σεσιώπηκας*; Pac. 270 *βυρσοπώλης, ὅς ἐκύκα*; Av. 993 *δράσων· τίς ἰδέα*; Thesm. 379 *ἀπάσαις· τίς ἀγορεύειν*. Sententia et elisionis vi ad sequens vocabulum pertinent *ὁ δ'*, *σύ δ'*; Nub. 1139 *μοι τὸ δ' ἄφες*; Thesm. 293 *ἐξακούω· σὺ δ' ἄπιθ'*; 1063 *ἐλεινῶς· σέ δ' ἐπικλαίειν*; Eccl. 804 *ποιήσεις· σὺ δ' ἐπιθυμήσεις*; Plut. 1081 *αὐτῆς· ὁ δ' ἐπιτρέψων*. Sola elisione altera dactyli syllaba voce monosyllaba expressa cum verbo insequente continetur: Vesp. 52 *δοὺς δὴ ὀβόλους*, 761 *πίθωμαι; λέγ' οὐ*; Lys. 210 *ὕμῶν μί' ἄπερ*; Ran. 140 *διάξει δὴ ὀβολῶ*; Plut. 1025 *ὦ φίλ' ἀνήρ*; 349 *οἶος· λέγ' ἀνόσας*; Fragm. 145 *τ' πράττω δὴ ὀβολῶ*. Nonnunquam duae dactylorum breves syllabae singulis vocibus monosyllabis ita exprimuntur, ut aut duae simul voculae ad sequentia pertineant aut altera voce alteri maxime se consociante efficiant quasi unum duae voces bisyllabum verbum. Atque duae quidem voculae ad sequentem vocem pertinent



saepissime in jurisjurandi elocutione *μά τόν*: Equ. 14 *μάχωμαι· μά τόν Ἀπόλλω*; Nub. 627 *Ἀναπνοήν μά τὸ Χάος*, 732 *καθεύδεις· μά τόν Ἀπόλλω*; Vesp. 1366; Pac. 16; Av. 439; Lys. 917; Thesm. 269; Ran. 508; Plut. 987. Deinde in his versibus: Ach. 250 *τυχερῶς τὰ κατ'*; Nub. 207 *Ἀθῆναι· τί σὺ λέγεις*; 1174 *ἐπανθεῖ τὸ τί λέγεις*; Pac. 881 *ὁμῆς τις ὁ*, 94, 1233; Lys. 613 *ἡμῶν τὰ τρίτ'*; Thesm. 864 *πολλὰ δι' ἔμ'*; Ran. 27 *τοῦτ' ὁ σὺ φέρεις*; 1166; Fragm. 198π. Saepius duae voces monosyllabae alterius enclitica, ut ita dicam, natura quasi in unum bisyllabon concrescunt: Ach. 109 (*σὺ μέν*), 366 (*τὸ μέν*); Equ. 119 (*τί ἄρ'*); Nub. 87 (*τί δέ*), 223 (*τί με*); Vesp. 143 (*τί ποτ'*), 833, 1205 (*τό γε*), 840 (*σὺ δέ*); Pac. 960 (*σὺ δέ*); Av. 1599 (*τὰ δέ*); Lys. 172; Thesm. 138; Ran. 20 (*τὸ δέ*), 33 (*τί γάρ*), 1380 (*πρὶν ἄν*), 1430, 1478; Eccl. 37, 55, 434, 930; Plut. 90, 166, 167, 723, 1181; Fragm. 445 a V, quibus adjungam Pac. v. 58 *τί ποτε* et Fragm. v. 384 *τί ἄρα*, ut in quibus solutionibus eadem fiat verborum conjunctio. Huic generi quamquam nihil commune sit cum ea tertii pedis solutione, quae invenitur Ran. v. 19 *κακοδαίμων ἄρ' ὁ*, tamen hanc librorum consensu firmatam solutionem in quaestionem non vocaverim, cum elisione durities plane tollatur. Verum simillime, nisi fallor, illis superioribus solutionibus comparatus est dactylus in Equ. v. 1175 *οἰκεῖσθ' ἄν ἔτι*, cum vox *ἔτι* antecedenti *ἄν* non minus arcte adjungatur, quam in Fragm. v. 384 *ἄρα* voci *τί*. Plane singulariter comparatus est tertius pes in Pluti v. 813 *τοὺς δέ πινακίσκους*, cum altera dactyli syllaba ad verbum insequens nullo modo pertineat. Sed mequidem haec solutio quamvis hoc loco insolita non offendet, cum antecedente interpunctione hujus pedis condicio proxime accedat ad primae sedis similitudinem, in qua ejusmodi dactylos haudquaquam raros esse jam supra cognovimus.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Nullam reperias Aristophaneam solutionem similiter comparatam ac qualis legitur in Eur. Orest. 491 secundum Naukii emendationem, qui pro codicum lectione *πρὸς τόν δ' ἀγὼν τις σοφίας ἦκει περὶ* scribit *ἀγὼν ἄν τι σοφίας* atque Car. Muellerum (p. 111) consentientem habet. Neque enim unquam Aristophanes eo procedit licentiae, ut enclitica priorem arsis solutae syllabam comprehendat (cf. p. 12).

Jam accedens ad solutiones examinandas, quarum in altera syllaba longius terminatur vocabulum, illud mihi praemonendum esse videtur, talem hujus pedis solvendi rationem eo magis habere, in qua offendamus, cum semiquinariae caesurae maxime repugnent, quam ad pedis solutiones non minimum valuisse inde elucere mihi videtur, quod longe maxima pars dactylorum, quos modo tractavimus, divisorum ita est conformata, ut in longae loco terminetur longius vocabulum atque prior brevis syllaba paene in omnibus omnino solutionibus jungenda sit cum sequente verbo. Quod quia prorsus negligitur, cum longius verbum in altera dactyli syllaba terminatur, non possum non ejusmodi solutiones ab initio in suspicionem vocare. Ac primum quidem nulli adhuc homini critico suspecta videbatur lectio Ran. v. 1436 *ἦντιν' ἔχετον*, in quo sane quidem dactyli syllabas elisione arctissime cohaerere haud nego. Sed cum in tertio pede nullum neque tribrachi neque dactyli simile inveniatur exemplum, haud scio an meo jure contendam concinnius procedere versus numeros, cum mutata verborum collocatione scribimus *ἦντιν' ἔχετον περι τῆς πόλεως σωτηρίας*, ut in primum pedem talibus solutionibus abundantem transferamus illum dactylum. Simul recepimus, quam Wecklein in Museo Rhen. XXIII, 547 proponit conjecturam *σωτηρίαν* in *σωτηρίας* mutandum esse probabiliter docens. Sic habes versus structuram similem ac in Av. v. 1588, quem cum Kockio scribendum esse putamus *περὶ τοῦ πολέμου διαλλαγῆς* (cf. pag. 18).

Alia insolita in hoc pede nobis praesto est dactyli forma in Eccl. v. 532 *ἀλλ' ἔστιν ἐνταῦθά τι κακόν*, quam lectionem optimorum codicum auctoritate firmatam integram Bergkii et Dindorfii in textum receperunt. Jam pridem in tertii pedis solutione offenderat Bothius, qui levi corrigens manu scripsit *ἐνταυθί* cetera versus verba intacta relinquens. Eum secuti sunt ex recentioribus editoribus Meinekii et Blaydesii nescii tali modo insolentis dactyli loco anapaestum inferri in versum Aristophanae consuetudini etiam magis repugnantem (vide disputationem Curtii Bernhardii jam saepius citatam). Eadem de causa notam meruit Cobetus et qui ejus conjecturam amplexus est

Velsenus, qui *τι* voculam ante *κακόν* positam aegre ferentes scripserunt *ἐνταυθί κακόν τι· μά τῷ θεῷ* versus sic etiam difficiliore anapaesto onerantes. Ipse quidem librorum scripturam servare velim. Cum enim *τι* pronomen arctissime conjungatur antecedenti verbo, solutio similiter comparata est, ac si dactylus in fine longioris vocis occurrat. Hunc autem probandum esse, si proximum verbum continuo pronuntiatur, suo loco ostendemus.

At nequaquam sana esse potest ob causam modo allatam librorum lectio in Av. v. 182 *ἅπαντα διὰ τοῦτό γε*, ubi interpunctio solutionem sequitur, quo accedit, ut haec lectio sententiam praebet toti loco parum aptam et praesertim ab antecedente *διέρχεται* maxime abhorrentem. Sine dubio genuinam versus formam detexit Bergkiius scribens *διὰ τούτου* sic consulens versus et metro et sensui.

Lectionem non minus hominem metricum offendentem editores quidam intruserunt versui Eccl. 1037, quem *ἀμέτρως* per codices sic legimus: *ποῖ τοῦτον ἔλκεις; τὸν ἔμαντῆς ἄγω*. Aldus enim eumque secuti Brunkius et Dindorfius ita pristinam versus formam restituisse sibi visi sunt, ut scriberent: *ποῖ τοῦτον ἔλκεις σύ; τὸν ἔμαντῆς εἰσάγω* nescii dactylum post priorem syllabam brevem incisum ab Aristophaneo trimetro plane abjudicandum esse. Quod quidem minime fugit Dobraeum, qui illud *σύ* retinens scribendum proponit *ποῖ τοῦτον εἰσέλκεις σύ; τὸν ἔμαντῆς ἄγω* nimirum sic optime consulens metro. At ego sine ulla dubitatione palmam concedo Meinekio removenti ut supervacaneum illud *σύ* atque scribenti *ποῖ τοῦτον ἔλκεις; εἰς ἔμαντῆς εἰσάγω*, ut responsio oriatur aptissima interrogationi. Miror Bergkium hanc a Blaydesio et Velseno receptam conjecturam horrere atque proponere: *ποῖ τοῦτον ἔλκεις ἄνδρα; τὸν ἔμαντῆς ἄγω*, in qua emendatione articulum post *τοῦτον* omitti non posse quivis videt.<sup>1)</sup>

Non minus necessarium est nos consulere Plut. v. v. 171, 174, 176, ubi libri in tertio pede praebent solutionem omnibus rhythmicis legibus maxime repugnantem: *οὐχὶ διὰ*. Hoc jam

<sup>1)</sup> Eodem vitio, quo hic versus, corruptus legitur per codices Eurip. fragm. v. 533, 1 *τερπνὸν τὸ φῶς μοι τόδ' ἔπό*. Rectissime Nauckius scribit *τὸ φῶς τόδ' ὁ δ' ἔπό* (cf. Car. Muellieri librum de ped. sol. § 24, 8).

pridem intellexit Cobetus atque, cum codex Mutinensis primus δέ γε praebeat, maxime probabiliter legendum proponit δέ γ' οὐ. *Recepta particula γε et metrum elegantissimum evadit et horum versuum structura similis fit antecedentium condicioni, in quibus item haec particula in codicibus eisque optimis plerumque omissa est.*

### VIII. De dactylis quinti pedis.

In quinti pedis solvendi rationem multum contulisse studium, ut ne in versus fine nimis perverteretur numerus, atque si quando hujus pedis longa duobus exprimebatur vocabulis, secundam semper arcte conjunctam esse cum insequente syllaba, ut concinna ac sonora evaderet versus terminatio, jam saepius monuimus et a Seidlero in excursu ad librum de versibus dochmiacis (380—400) satis demonstratum est. Quam quidem praeclaram observationem facile erit etiam in dactylis, de quibus nunc agemus, divisim demonstrare. Nullo enim loco altera dactyli syllaba fine longioris vocabuli conformatur, immo semper monosyllaba voce eaque ad insequens vocabulum maxime pertinente. Ita articulus vel praepositio monosyllaba hanc obtinet sedem sequente trisyllabo vocabulo: Ach. 533 μήτ' ἐν ἀγορᾷ; Equ. 136 βυρσοδένης ὁ Παφλαγών; Thesm. 27, 28 σιωπῶ τὸ θύριον; Ran. 101 ὁμόσαι καθ' ἰεῤῶν; 517 ἤδη τὰ τεμάχη; Plut. 351, 397, 845; Fragm. 238 τ. Ex elisione, qua altera dactyli syllaba monosyllaba voce expressa cum sequente trisyllabo vocabulo maxime jungitur, plenam ducunt excusationem: Ran. 141 τὸ δὲ ὀβόλω, 1422 Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχεται. Compluribus locis hoc quoque pede dactyli breves syllabae binis vocabulis monosyllabis expressae sunt sed ita, ut ne minima quidem vocis remissione cum insequentibus uno tenore pronuntiandae sint. Ita duae monosyllabae sententia et grammatica ratione cum insequentibus jungendae sunt: Av. 1213 πελάργων; τί τὸ κακόν; 1273 κέλευσον· τί σὺ λέγεις; Thesm. 610 αὐτοῦ· τί τὸ κακόν. Altera monosyllaba priori magis se adjungit, ut cum ea quasi bisyllabum formet verbum sed id maxime pertinens ad sequentem vocem: Lys. 851 σοι· σὺ δὲ τίς εἶ; Plut. 161 καὶ τί ἔτ' ἐρεῖς, 1180 σωθεῖς, ὁ δὲ τίς ἄν.

### IX. De proceleusmatico.

Ex longo tempore homines rei metricae periti quaerunt, num Aristophanes, qua esset metri tractandi incuria, eo progressus sit licentiae, ut etiam anapaesti longam syllabam in duas breves solveret id est proceleusmaticum jambi loco versui immitteret. Quod quidem ante omnia ob eam maxime rem dubitationem nobis moveat necesse est, cum tali modo *πὸς κύκλιος* jambi loco positus in quattuor tempora solvatur, quod ullo modo fieri posse veteres metrici ad unum omnes negant. Quid quod ejusmodi proceleusmatico probato compluribus iisque maxime firmatis locis cogimur duabus syllabis brevibus interpunctione sejunctis longae vices tribuere, quam metri tractandi negligentiam Aristophanem nunquam sibi indulsisse a nobis satis superque demonstratum est. Quodsi his rationibus moti infitiamur proceleusmaticum jambi loco poni posse, restat ut sumamus Aristophanem a tragicorum consuetudine aberrantem nonnunquam anapaestum post dactylum vel tribrachum admisisse. Qua re non minus versus rhythmum et elegantiam confundi et perturbari jam veteres metrici penitus perspexerunt atque talem solutionem abhorruerunt, nostrorum autem hominum earum rerum peritorum imprimis Godofredus Hermannus in epitome doctrinae metricae explicatius eam rem disquirat atque maxime ob eam rem demonstrat a veteribus poetis horum pedum conjunctionem vitatam esse, quod tribracho vel dactylo anapaestum praecedente quattuor in thesi syllabae sint, id quod numero trochaico repugnet (cf. Godofr. Hermannus, Epitome § 133).

Quae cum ita sint, cum proceleusmaticus neque pro jambo tolerari possit, id quod nostris argumentis demonstrari videatur, neque pro trochaeo, id quod Hermannus luculenter ostendit, alia via solutionum ejus modi explicandarum ingredienda est. Ac nobis quidem ex illa ipsa in compluribus locis huc pertinentibus occurrente interpunctione una in ea quaestione explicatio peti posse videtur. Libet commonere ea, quae attulimus pag. 10 ad Ach. v. 1023 *πόθεν; ἀπό*. Si recte se habet, quod illo loco explicavimus, interpunctionis insequentis vi ac natura

proximam superiorem syllabam produci, quid impedit, ne ad versus, de quibus hic agimus, idem referamus, ut neque scripturam librorum mutare cogamur et numeri eleganter profluant. Huc pertinent Ach. v. 47 ἄλλ' ἀθάνατος· ὁ γὰρ Ἀμφίθεος Δήμητρος ἦν, v. 928 ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ καταγῆ φοροῦμενος, Eccl. v. 315 καὶ θοιμάτιον· διτε δὴ δ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν, Av. v. 108 ποδαπὸ τὸ γένος; Ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλά, quorum versuum scriptura omnium codicum autoritate ita stabilita est, ut quin haec sit genuina forma non est quod dubitemus. Quodsi proceleusmaticum neque jambi neque trochaei vicem tenere posse putandum est, nonne nostro jure ex interpunctione excusationem petimus, cum contendimus tribrachum interpunctionis insequentis vi ad anapaesti mensuram accedere?

Aliam excusationis ansam inveniemus in Lys. v. 1148, si locum accuratius perscrutabimur. Quam libri praebent scripturam ἀδικιοῦμες· ἀλλ' ὁ προῶτος ἄφατον ὡς καλός, in ea maxime offendimur ἀδικιοῦμες verbi forma, quam confusam esse ex ἀδικίωμας et ἀδικοῦμες veri simillimum est. Utra harum lectionum majorem habeat probabilitatis speciem, adhuc inter doctos non constat. Equidem praeferam ἀδικίωμας formam, sed ne metrum juguletur, vocales *io* per synizesim vel per contractionem legantur propono, ut hoc verbum raptim pronuntiatum paene ut quadrisyllabum sonet, id quod Attici sermonis contracta forma ἀδικιοῦμεν et superioris versus simile exemplum flagitare videtur. Certe nullo modo de proceleusmatico cogito.

Quae alia proceleusmaticorum exempla afferuntur, eis emendationis medelam adhibere eo minus vereor, cum plurimorum neque scriptura constet et emendatio prompta sit. Indubitate corruptus legitur in libris versus Thesm. 285 τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν θεαῖν, quem alii alio modo in justam formam redigere conati sunt, cum uni proponerent τὸ πόπανον ὡς, alii τὰ πόπαν' ὅπως, alii delete articulo πόπανον, ὅπως. Mihi quidem, cum constet particula ὅπως cum conjunctivo non uti comicos nisi addita particula ἄν atque ὅπως et ἵνα saepe in codicibus confundi, dubium non est, quin Aristophanes scripserit τὸ πόπανον, ἵνα, qua lectione tam proceri efficiuntur numeri,

ut, cur Aristophanes illos tam impedito procedentes elegerit, nullo modo intellegi possit.

Non minus suspectus aut editorum emendationibus minus tentatus est Nub. v. 663 *ἀλεκτρονά κατὰ ταῦτό καὶ τὸν ἄρρηνα*. Cum Porsono scribendum videatur *ἀλεκτροῶ*, Meinekius conjicit *ἀλέκτορα κατὰ ταῦτό*. Illud rejiciendum, quod Socrates quotidianam dicendi formam vituperans vulgari forma uti debet, hoc cum inde jambi solutio oriatur ab Aristophanea consuetudine plane abhorrens. Vitium versus latere in verbis *κατὰ ταῦτο* ab aliis codicibus aliter scriptis, quae dittographia abierunt in id, quod R et fere omnes habent *καταταῦτό*, metro invito et abundante particula *τε* vs. 662, primus intellexit Hermannus atque codicis Flor. *Φ* scripturam probans proposuit *καὶ ταῦτό* scribendum, id quod recentiores editores ut Kockius, Blaydesius, Leeuwenius recipere non dubitaverunt, cum versus sensui sic consuleretur non minus quam metro.

Maximum autem laborem consumpserunt critici in Plut. v. 1011 tractando in plurimis codicibus sic tradito: *νητάριον ἄν καὶ φάτιον ὑπεκορίζετο*, ut aut proceleusmaticus jambi loco positus sumendus sit aut tribrachus anapaestum antecedens et sic incisus, ut ab Aristophanea consuetudine plane abhorreat. Quare omnes ad unum editores suo jure versus medelam circumspexerunt. Quam quidem uni proposuerunt lectionem *φάτιον ἐκορίζετο*, ea, cum inde tribrachi oriatur incisio ab Aristophanea consuetudine plane aliena, ex metrica ratione rejicienda est. Audacius quam prudentius Porsonus tentavit *νητάριον ὑπεκορίζετ' ἄν καὶ φάτιον* Bentleyi si recipiens correctionem *φάτιον* pro *βάτιον*. Palmam hoc loco meritus esse mihi videtur Meinekius, qui pro *φάτιον* scribendum proponit *φάβιον* (columbula, deminutivum a voce *φάψ*), ut et sensus curetur et numeri multo melius profuant.

Etiam magis abundat criticorum emendationibus Acharn. v. 733, quem in plurimis libris sic legimus: *ἀκούετον δῆ, ποτέχει' ἔμιν τὰν γαστέρα*. Quo in versu non solum jugulato metro offendimur sed etiam numero duali verbi *ἀκούετον*, cum Megarensis in antecedentibus et consequentibus ambas filiolas alloquens

semper plurali utatur. Quae duae offensionis ansae simul tolluntur, si codicis C accipimus lectionem ἀκούετε praebentis pro ἀκούετον, ut equidem non intellegam, cur editores non acquieverint in ea.

Non operae pretium mihi esse videtur longius disputare de Nubium v. 845, qui a plerisque codicibus sic traditus: *πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἔλω* a Brunckio eumque secuto Dindorfio proponentibus *πότερα* inferendis numeris vitiatu est.

Neque est quod longius haereamus in Pac. v. 246, cujus rectam scripturam codices R. S. V praebent, in quibus pro *ὡ Μέγαρα* legitur *ὦ Μέγαρα*, vel in Equ. v. 7, ubi cum codicibus RBC pro *αὐταῖσι* scribendum *αὐταῖς*, vel in Ran. v. 76, cujus numeri impeditate profluunt *οὐχί* vocabulo in *οὐ* mutato.

Haud dubie corruptis numeris laborat Ach. v. 78 *τοὺς πλείστα δυνάμενος καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν*, quem curandum alii alias protulerunt emendationes. Meinekios proponit, ut deleatur particula *τε*, quod eo plus habet, quo nobis arrideat, cum ipsi codices B et P hanc voculam omittant. Sed haud scio an a Morello recte requiratur simplex *φαγεῖν*; cf. Theophil. fr. 3: *ἀνδρῶν ἀπάντων πλείστα δυνάμενος φαγεῖν*.

Nemo jam dubitet, quin prava sit librorum lectio in Av. v. 1383: *σκυτάλι' ἐφόρουν, νυνὶ δ' ὑποστρέφαντες αἶ*, paesertim cum antecedentis versus verbis *ἐκόμων, ἐπίνων, ἐσωκρατίζον, ἐρρύπων* appareat hic orationis concinnitatem postulare, ut uno verbo significetur res. Quod quidem jam Porsonus intellexit atque scribendum proposuit *ἐσκυταλιοφόρουν*, quod suo jure plerique recentiores editores receperunt.

Manifesto librariorum errori debetur lectio versus Vesp. 1169 etiam a Blaydesio ut sana recepta: *ὡδὶ προβάς τρυφερὸν τι διασαλακῶνισον*. Ex magno numero emendationum a criticis commendatarum quae sit maxime probanda equidem discernere non ausim. Forse rectum vidit Dindorfius *διασαικῶνισον* ex Hesychio et Photio eruens.

Denique, ne quid praetermississe videor, breviter proferam, quid statuendum putem de Ach. v. 615, Equ. v. 676, Vesp. v. 967, quos ad sanos numeros jam dudum editores rettulerunt.



Atque in Ach. quidem versu 615 veram scripturam Bentleius e scholii ad v. 617 verbis investigasse videtur scribendum proponens, *ὕπ' ἐράνου* pro *ὕπερ ἐράνου*; nisi forte Reisigio assentiendum ex eodem scholio eruenti *ὕπ' ἐράνων*. In Equitum autem versu 676 aut vulgata servandam *ἐγὼ δὲ τὰ κορίαν' ἐπιράμην ὑποδραμών* aut, si lectionem ex codice R petitam *ὑπεκδραμών* probamus, transponendum cum Fritzschio, Meinekio, Velseno in *ἐγὼ δ' ἐπιράμην τὰ κορίαν' ὑπεκδραμών*. In Vesp. denique v. 967 consulemus versus rythmo, cum vel Dindorfium sequentes scribemus *ἔλει* pro *ἔλλει* vel codicis B probamus scripturam *τοὺς* articulum ante *ταλαιπωρουμένους* verbum omittentis.

Itaque omnes, qui adhuc ab Aristophanis editoribus prolati sunt, proceusmaticos perscrutati atque, ut nobis videmur, probabili modo vel ex metrica ratione declarare vel plane remomerē conati non dubitamus iterum firmiter contendere Aristophanem usquequaque cavisse, ut ne aut jambum aut trochaicum in quattuor solveret syllabas id est proceusmaticum, quem dicunt, pedem in versum inferret.

---

Postquam hanc disceptationis nostrae partem ad finem perduximus, iterum commonere libet illud, unde tota ratiocinatio exorta est, Aristophanem, quamvis insolita uteretur pedum solvendum ratione, nunquam usque eo progressum esse licentiae, ut longae syllabae loco duas breves poneret, quae non aliquo modo continerentur. Quae quidem vincula poëtae idonea visa sint ad solutionum duritiem emolliendam et paene removendam, primum hoc labore a nobis accuratius examinatum est, et quivis primo aspectu intellet nos non acquievissse in solutionum enumeratione. Sane quibusdam locis aliquis aliter sentiat, certe his cognitis nemo jam conjecturas proferet, quales a Dindorfio, Meinekio, aliis tentatas identidem refutavimus, neque quisquam syllabas breves longae loco positas interpunctione sejunget.

---

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

AUG 1 1984